


02 H 1303



387

DISSE^{TATI}O IVRIDICA
POENA IVS
SIBI DICENTIS
SINE
IVDICE
QVAM
INDVLTV
FACVLTATIS IVRIDICAE
IN REGIA FRIDERICIANA
SVB PRAESIDIO
DOMINI
IVSTI HENNINGII BÖHMERI
IC^{TI}
POTENTISS. REG. BORVSS. CONSIL. INTIMI
ET PROF. IVR. ORDINARII
IN AVDITORIO MAIORI
D. FEBR. MDCCXXV.
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT
AVTOR ET RESPONDENS
SIGISMVNDS WILHELMVS RICHTER
BEROL.

HALÆ MAGDEBURGICAE
Typis IOANNIS GRVNERTI, Academ, Typographi,

HESSE-RHEIN. LARDIGE
DE
HOENAI
SCHL-DIGENSTI
SING
TALDICE
IN REGEN. HEDERIGE
DOCKEN
USTI HENNICH BOHMER
SCHLESWIG WILHELMUS RICHTER






DE
POENA IVS SIBI DICENTIS SINE IVDICE.

CAP. I.

De poena ius sibi dicentis ciuili.

§. I.



Nsignis differentia in-
ter statum naturalem & civilem
satis decantata, nota atque ita
etiam comparata est, vt ad
fundamenta iuris prima refer-
ri, &, quicquid in vita humana
iustum est, distincte inde de-
duci debeat. Sicuti enim vtriusque status rationes
diuersæ sunt, ita quoque iurum discrepantiam pro-
ducit, quippe quæ statui accommodari atque attem-

A

perari

Ex diverso
statu naturali
& civili di-
uersissima
flavit iura,

quod specia- perari debent. Quod in eo iustum licitumque; in
tim illustra- hoc saepe prohibitum, turpe, atque probosum re-
tur putatur, atque quod huic conuenit, illius insti-
tutis aduersatur, cum ille sit *æqualis*, hic *inæqualis*.

ex iure gen- Vnde non demirandum, iuris gentium scita, quæ
tium. maxime in *statu naturali*, in quo gentes adhuc de-
gunt, vigent, usumque præbent, ab eo iure, quod
in ciuitatibus obtinet, recedere, & diuersas produ-
cere conclusiones, quæ in singulis causis sedulo ut
plurimum discernit, quandoque tamen confundit
GROTIUS. Adeo verum est, bonum dormitare
aliquando Homerum.

In statu na- §. II. Principalis & palmaria differentia vtrius-
turali quili- que status deprehenditur in controversiarum occur-
bet est sibi rentium, quibus humanum genus inuoluitur, iu-
ñdex. dice legitimo. In statu *naturali* quilibet sibi met ipse
ius dicit, & in causa propria *iudex* est *legitimus*,
ideo quod status hic *æqualis* sit, superior, qui de
controversiis incidentibus cognoscere & sententiam
ferre possit, desit, & ita quilibet iuris, quod sibi com-
petere putat, executor esse *legitimus*. Quam-
uis enim pium honestumque sit, ut, quoniam qui-
libet in causa sua nimium affectibus indulget, & ita
sæpe a *insti* rationibus deflectit, controversiae emer-
gentes per compromissum aliorum arbitrio submit-
tantur; id tamen ex litigantium beneplacito dependet,
ad quod nec cogi possunt, nec semper cuius inter
gentes integrum est, tale arbitrium *suo iure* postulare,
quia hoc modo se aliis superiorem constitueret, qui

Inde bellum inter gentes non datur. Vnde recte **GROTIUS de**
iure belli & pac. lib. II. c. 1. §. 2. n. 1. vbi iudicia deficiunt,
incipit

incipit bellum, quia neuter litigantium ius suum, quod habere putat, sine vi & viribus exequi potuit, quibus tamen aduersarius resistit, qui pari modo iudex in sua causa est, & sic se *iure legitimo* resistere contendit. Inde vero nascitur bellum, quod autore CICERONE lib. I. offic. c.34. est *qualibet per vim de-certatio* inter æquales scilicet, & sic publica. Quibus non pontificæ ita positis, palam est, Pontificem se non potuisse constitutere iudicem arbitrum in causis gentium litigiosis, quamvis id ipsum sâpe illum affectasse, & suo quasi iure sub prætextu peccati praecavendi sibi asseruisse, historia memoret. Vestigia huius papalis iudicij occurunt, in c. nouit. 13. X. de iudiciis vbi INNOCENTIVS III. subdole ita rationes subduxit: Non intendimus indicare de feudo, cuius ad ipsum spectat iudicium, sed decernere de peccato, cuius ad nos pertinet sine dubitatione censura, quam in quemlibet exercere possumus & debemus. Quis vero est, qui non animaduertat, sub colore iudicij de peccato Pontificem ad suum tribunal omnes gentium controversias trahere potuisse, quia is demum in alterum peccat, qui alteri iniuriam infert, & ius denegat. Dum ergo de peccato decernere intendit Pontifex, necessario quoque de iure, quod controuersum est inter litigantes, iudicare, & constituere potest, quis in alterum peccauerit seu alteri iniuriam intulerit. Inde fluxit decantata illa decertatio inter Pontificios, an & quatenus Pontifici quoad temporalia, vt loquuntur, in Reges summos supremum competit imperium, peculiari tractatu a BARCLAIO, MOLINAEO aliisque examinata & negata contra BELLARMI-

& in tempora-
lialia iudi-
cium sibi as-
seruit.

NVM, BOZIVM, aliosque, quorum nænias enarrare nolo, quas in compendio sistit VASQYIVS lib. I. controv. ill. cap. 21. Id tantum vel paucis moneo, admodum inimicam esse summorum Principum iuribus philosophiam curiæ Romanæ, eamque ipsi iuri gentium perpetuum nefandumque indicere bellum, quamdiu his principiis pascitur, a quibus se nullo modo deflecti patitur.

In statu ciuili
summus im-
perans iudi-
cat,

§. III. Diuersa prorsus est conditio *status ciuilis*, quem produxit societas inter imperantem & subditos, in qua illius est *imperare*, horum *parere*. Ex illius *imperio*, quod *summum* est, derivanda sunt *iudicia*, eoque sensu verum est, quod GROTIUS lib. I. de I. B. & P. c. 3. §. 1. n. 2. contendit, iudicia a *fæcto hominum* esse, quod per *fæctum humanum* etiam societates ciuiles coiuerint, quibus constitutis, *iudicia* erigi debuerunt. Cum enim multo honestius & ad quietem hominum conducibilius fuerit, ab eo, cuius nihil interfit, rem cognosci, quam singulos homines, nimium sæpe amantes sui, quod ius putant, id manu exequi, tam laudabili *instituto obsequendum* ipsa dictat *æquitas* & *ratio naturalis*, vt recte ait GROTIUS cit. loc. Vnica & primario tranquillitatis communis pacisque causa conditæ sunt ciuitates, erectaque imperia, qui finis aliter obtineri nequit, quam præsidio legum iudiciorumque. Si manet iudicium singulorum de propriis actionibus, supereft quoque mutua resistendi facultas, quæ necessario *avapx̄lav* & rerum publicarum exitium inducit. Denique deperditæ & ægrotantis reipublicæ euidentissimum indicium est, si singulis vindicta sui ipsius conceditur, qua omnis

omnis *pax civilis* euertitur. Huc populi referendi sunt, in quibus olim *duella & monomachia* adeo permissa, vt ex iure legitimo fieri crederentur, quæ tamen fini rerum publicarum e diametro repugnant. Cui ignota sunt infelicissima illa nostræ Germaniæ fata & tempora, quibus conculcata omnis legum reuerentia, *ius manuarium* vnicē vigebat, & quilibet sibimet ipsi *ius* dicebat, prout antiquos Germanorum mores depingit POMPONIUS MELA lib. III. d. sit. Orb. c. 3. *Ius in viribus* habent, adeo vt ne latrociniū quidem pudeat. His moribus vixere Germani, pace imperii publica in exilium acta, donec tandem tot legibus & constitutionibus illa reducta fuerit.

§. IV. Vti vero gentes moratores ab hoc barbaro more abhorruere, atque eos grauiter coer- cuerunt, qui absque iudice sibimet *ius* dixerunt; ita Romani in primis in legibus suis hanc agnouere a *statu naturali* discrepantiam, atque rectissime constituere, interprete PAVLO in l. 176. de R. I. non esse singulis concedendum, quod per magistratum publice lustratur. possit fieri, ne occasio sit maioris tumultus faciendi. Quomodo enim hic præcaueri, & publica tranquilitas conseruari potest, si mutuum vim inferendi & resistendi studium perdurat in ciuitatibus, cum tam idcirco iudiciorum vigor, iurisque publice tutela videatur in medio constituta, ne quisquam sibi ipsi permettere valeat ultionem, vt HONORIUS & THEODOSIUS in l. 14. C. de iudeis sapienter iudicant. Eadem mens, eademque sententia fuit IVLIANI ICti in l. 13. §. 3. de usufr. aientis: cur ad arma & rixam procedere patiatur, quos potest sua iurisdictione componere Pra-

Cassiodoro

tor? Hac de causa quoque D. MARCVS VIM esse dixit, *quoties quis id, quod deberi sibi putat, non per iudicem reposcit, quæ tamen ab omni statu civili aliena esse debet.* In compendio sententiæ huius veritas his adumbratur verbis apud CASSIODORVM lib. IV. ep. 4. *Hinc est, quod legum reperta est sacra reverentia, ut nihil manu, nihil proprio ageretur impulsu. Quid enim a bellica confusione pax tranquilla distat, si per vim litigia terminantur?* Huic calculum addit suum CICERO lib. III. de LL. &c., nihil est, ait, *exitiosus ciuitati, nihil tam contrarium iuri & legibus, nihil minus ciuale & humanum, quam composita & constituta republica quicquam agi per vim.* Hæc omnia vti cum recta ratione conspirant, ita ex vero quoque asseruit VASQVVS lib. I. controv. ilustr. c. 12. n. 3. *vt nemo in causa sua iudicet, vel ius sibi dicat, est regula iuris non solum civilis sed etiam naturalis.*

Poenamque
priuationis
leges dicta-
runt qui sibi
ius dicit,

§. V. Hæ æquissimæ rationes effecerunt, vt quod in statu naturali alias licitum reputatur, in republica Romana *delictis* annumeratum fuerit, debitis poenis coercendum. Censetur enim *vim priuatam* facere is, qui sibi *sine iudice ius* dicit. Nihil autem iuri tam inimicum quam vis, nec *aequitati tam infestum* est, quam conuocati homines & armati, ex iudicio CICERONIS orat. pro Cæcin. Hac de causa præter poenas *criminales*, quæ pro circumstantiarum grauitate locum habere possunt, constituta est poena *priuationis iuris* in eum, qui sibi *sine iudice ius* dixit. Et cum de hac poena duntaxat agendi animus sit, ante omnia referam textus primarios iuris Romani,

Cicerone

& Vasquo,

ni, qui huc faciunt. Primus est in l. 13. D. quod metus causa. Extot decretum Divi MARCI in hæc verba: Optimum est, si quas putas te habere petitiones, actionibus experiaris, cum Marciānus diceret; vim nullam feci: Cæsar dixit: tu vim putas esse solum, si homines vulnerentur? vis est & tunc, quotiens quis id, quod deberi sibi putat, non per iudicem reposcit. Quisquis igitur probatus mibi fuerit, rem ullam debitoris vel pecuniam debitam non ab ipso sibi sponte datam, sine vlo iudice temere possidere, vel accepisse, isque sibi ius in eam rem dixisse, ius crediti non habebit. Plenius sententia huius legis refertur in l. pen. ad L. Iul. de vi priuata. Creditores, si aduersus debitores suos agant, per indicem id, quod deberi sibi putant, reposcere Iul. de vi debent. Alioquin si in rem sui debitoris intrauerint, id nullo priuata. concedente, Diuus MARCVS decreuit, ius crediti eos non habere. Verba decreti hæc sunt: Optimum est, ut si quas putas te habere petitiones, actionibus experiaris, ille interim in possessione debet morari, tu petitor es; & cum Marciānus diceret, vim nullam feci; Cæsar dixit: Tu vim putas esse solum, si homines vulnerentur, va est, & tunc, quotiens qui id, quod deberi sibi putat, non per iudicem reposcitur; non puto autem nec verecundiæ nec dignitati tuae conuenire, quicquam non iure facere. Quisquis igitur probatus mibi fuerit rem ullam debitoris, non ab ipso sibi traditam, sine vlo iudice temere possidere, cumque sibi ius in eam rem dixisse, ius crediti non habebit. Vterque locus est CALLISTRATI, desumptus ex lib. 5. de cognitionibus, prior tamen mancus, & a TRIBONIANO paululum immutatus, ex posteriori restituendus. Alter textus est Constitutio VALENTINIANI, quæ in sua integritate refertur in l. 3. C. Theod. Vnde vi: plerosque detegimus est, in rem priuatum nostram, (principis) quam publicatio celebrata quæ- fuerat, (ex proscriptorum post MAXIMI tyrannidem bonis

quod illustratur ex leg. 13.
quod met.
caus.

bonis (iuasisse) ex hoc prætextu, quod bona sua publicatis essent immixta) quam nos a retentatoribus erexit sociari iubemus ærario; punientes conumacius, quam decus publicum sinebat erectos, vi qui litem inferre potuissent, vollent expectare iudicium, ac spernerent victoriam, quam iustitiae præscriptis euentus, ac amplecterentur, quod dedisset audacia. Cadat igitur lite, quisquis operiri noluerit litiis euentum, & quod recipere lege potuisset, contentor examinis violentus amittat. Illi vero, quos in tantum furorem prouexit audacia, ut quod iurgaturi apud examinis fidem sperare non possent, ante euentum iudicialis arbitrii illicita præsumptione temerarent, astimationem rei, de qua litigari conuenerat, cogantur exsoluere (quod quidem etiam in privatibus obseruandum negotiis generali lege sancimus.) Illud autem ab officio Magnificentæ Tuæ cœendum esse decernimus, ut sacraissima domus nostra litem expectare, non inferre cogatur, neque expetat, sed patiar examen.

I.7.C. vnde vi sed non sine facinore a TRIBONIANO interpolata: Si quis in tantam furoris peruerterit audaciam, vi possessionem rerum apud fiscum vel apud homines quoslibet constitutarum ante aduentum iudicialis arbitrii violenter inuaserit, dominus quidem constitutus possessionem, quem abstulit, restituat possessori, & dominium eiusdem rei amittat. Si vero alienarum rerum possessionem inuaserit, non solum eam possidentibus redditat, verum etiam astimationem earundem rerum restituere compellatur. Ex his legibus desumptus est tertius textus in §. 1. I. de vi bon. rapt. Ne inueniatur via, per quam raptores impune suam exerceant auaritiam; melius diualibus constitutionibus pro hac parte prospectum est, vt nemini licet, vi rapere rem mobilem, vel se mouentem, licet suam eandem rem existinet: Sed si quis contra statuta Principum fecerit, rei quidem suæ dominio cadere; sen autem

§. 1. Inst. devi
bon. rapt.

autem aliena res sit, post restitutionem eius, etiam aestimationem eiusdem rei prestare. Cum priores duo textus, ex utroque codice desumti, tantum immobilia, quae inuadi dicuntur, fecerint mentionem, ad quas etiam restringitur interdictum unde vi, inde noua extensio in hoc textu deprehenditur, ut etiam ad res mobiles, sine iudice raptas, pena priuationis, vel equipollens applicari debeat. Inde noua conclusio desumpta est ex L. io. C. unde vi, quae quar- I. 10. C. unde tum in hanc rem textum constituit. Non abs re est vi quemadmodum possessionis aliena inuasores, tam vetus, quam praesens sacra constitutio censuit esse puniendos: ita nec conductoribus & possessionis alienae detentoribus impune procedere, si locatoribus forte vel possessionem rerum suarum, quam apud alios precario modo esse concesserant, recuperare secundum leges violentibus, cum nulla fibemet cognita legibus allegatio competere, duxerint resistendum, & non protinus i. e. non expedito iudiciorum ordine, alienam possessionem recte eam recuperantibus cedere patientur. Eos namque iubemus pro tanta sua iniquitatis impudentia se cognitionis iudicariae eveniu fuerint condemnati: rei, cuius possessionem sponte restituere usque ad definituam sententiam minime passi sunt, estimationem videlicet parti una cum ipsa re prebere compelli. Quintus textus in L. 4. C. finium 1. 4. C. fin. reg. reg. & L. 2. C. Theod. cod. Si considerit, eum qui finalem & I. 2. C. The- detulerit questionem, prius quam aliquid sententia deter- od. eod. minetur, rem sibi alienam usurpare voluisse: non solum id, quod male petebat, amittat: Sed (quo magis unusquisque contentus suo, rem non expetat iuris alieni) qui irreptor agrorum fuerit in lite superatus, tantum agri modum, quantum adimere tentauit, amittat. In hac specie proprium dictum attentatum committitur, dum nihil pen-

B

dente

dente lite innouandum, sed *innouatum statim reuocandum sit per mandata S. C.*, vt tamen præterea poena priuationis locum habeat, de qua, aliisque in hac causa constitutis, plenius agit LANCELOTTVS de attentat. P. II, c. 31, n. 228. s^rq^s. Sextus textus occurrit in

Nou. 60, c. I. Nou. 60. c. I. Sancimus igitur, si quis illo superstite adhuc, quem putat debere sibi, ascendat domum eius, & molestus sit superstiti homini, aut qui eius sunt, uxori forte vel filii, aut domui omnino, aut etiam signacula per propriam potestatem imponere presumat, non prius decreto & officio legali seruato: post eius, qui dicitur debere, mortem, actione quidem modis omnibus cadat, siue iustam habeat hanc, siue non: quantum vero deberi sibi dicit, tantum aliud desuper exigatur, & detur iniuriati heredibus. Confiscationem quoque in teritam partem substantiae sustineat (sicut Marcus philosophus imperator in suis conscripsit legibus) & infamia feriatur. Qui enim hominis naturam non erubuit, dignus est & pecuniis & gloria & aliis omnibus condemnari. In compendio tenor huius textus refertur in Auth. item qui domum. C. de sepulch. viol. Denique septi-

Nou. 52, c. I. mus textus est in Nou. 52. c. 1. quapignorationes prohibentur, simulque eadem poena priuationis cum simili repetitur. Proprieta sancimus nullam omnino pignorationem in nostra republica prævalere, neque in mercatis, (hoc quod maxime ibi præsumptum inueniuntur) neque in obris, neque in ciuitatibus, neque in vicis, neque in ciuibus, neque in vicaneis, neque in agricolis, neque alio omnino quoconque modo vel tempore: sed præsummentem alium pro alio secundum pignorationis formam, aurum aut aliquid aliud exigere, hoc reddere in quadruplo violentionem passo: & cadere etiam ab actione, quam habuit aduersus eum, pro quo exactionem fecit. Non enim habet rationem, alium quidem esse debitorem, alium vero exigi:

sed

sed nec alteri molestum esse pro altero quodam, tanquam invasionem aut iniuriam committentem: & alium quasi vicinum existentem cædi, aut iniuriam sustinere, & aliquid pati quod omnino non competit, pro alio: & absque legitima occasione quamlibet perferre calumniam: & supplicium sustinere in corpore: præsidentibus gentium scientibus, quia si non hæc egerint, sed in prouinciis, quibus præsunt, pignorationes præsumi patientur: nihil erit tale, quod a nostris eos eripiat manibus.

§. VI. Hos textus plenius illustrat MENOCHIVS Summa & te-
de remed. recuper. possess. & ex nonnullis peculiaria nor horum
remedia recuperanda possessionis dedit. Primum textum re-
enim textum explicat in quinto, secundum in nono,
quartum in undecimo remedio. Interim, quod obi-
ter moneo, ius ciuale tantum unum recuperandæ re-
medium agnoscit, pedenterim extensum, & variis
causis emergentibus applicatum, quanquam in pri-
mo textu de remedio recuperanda possessionis ne qui-
dem agatur. Ut sit, non de *spolio* & remedio pos-
sefforio primario ero sollicitus, sed de primaria pœ-
na eius, qui sibi ius dixit. Etenim omnes textus
in eo conueniunt, ius sibi dicentem sine iudice iu-
re suo vel in rem vel in personam priuari, adeo ut,
si rem alienam vt *suam* per errorem occupauit, non
tantum eam reddere, sed æstimationem eius præ-
stare teneatur.

§. VII. Fundamentum huius pœnæ in *vis* con-
Fundamen-
stituitur, quam is perpetrat, ex sententia D. MAR-
CI, qui sine indice in rem suam sibi ius dixit, adeo-
que ante omnia qualitates huius vis prämittendæ
sunt. Videlicet (I) vis hæc debet esse vera non ima-
ginaria, h.e. vt proprio ausu quis sui iuris causa rem vera,
vis debet esse
sui

sui debitoris vel aduersarii *inuiti* occupet citra iudicis auxilium. *Vis quædam simulata & imaginaria*, quam GELLIVS lib. XX. de N. A. c. 10. vocat *civilem & festucariam*, olim in *vindiciis* occurrebat, quæ propter possessionem ante omnia explicandam ptebantur, vindiciæque secundum eum, qui possidebat, dabantur, seuis in possessione defendebatur. Vim utramque tum veram tum *simulatam* indigitat ENNIVS.

*Non ex iure manu consertum sed mage ferro
Rem repetunt, regnumque petunt, vadunt solidi vi.*

Simulata licita erat, & praxi Romanae forensi conformis, quia litigantes de possessione fundi prætorem adibant, vt eum deducerent in fundum, de quo litigabatur, quo iudicaret, vtrius esset possessio. *Lis vindiciarum* est, ait ASCONIVS, cum litigatur ea de re apud Prætorem, cuius incertum est, quis debeat esse posseſſor. Seriem huius vis fictæ & imaginariæ exponit GELLIVS cit. l. hoc modo: *manum conserere est, de qua re disceptatur, in re praesenti siue ager sit, siue quid aliud, cum simul aduersarium manu prenderet, in ea re solennibus verbis vindicare.* *Vindicia i.e. correptio manus in re atque in loco praesenti apud Prætorem ex XII. tabulis fiebat, in quibus ita scriptum: SI QVI IN IVRE MANVM CONSERVNT.* Nonnulli *vindiciam* etiam fuisse dictam virgulam & festucam autumant, quam litigantes in illa manuum consertione & quasi lucta desfringebant, adeoque eam vim *festucariam* vocat GELLIVS. Commissis enim inter se gladiorum loco festucis decer-
tabant,

tabant, sibique vim inferebant, vt lis belli speciem
præ se ferret, quo rudioribus seculis lites dirime-
bantur, obseruante GRAVINA lib. II. orig. iur. ciu.
§. 71. vnde & vindiciae a vindicando dictæ sunt, quod
a vim & dico compositum videtur, obseruante WIL-
HELMO van der MILEN ad tit. d. O. I. p. 544. RIT-
TERSHVS. ad L. L. XII. tab. cel. 3. p. 3. c. 8. Manuum
illa consertio in primis siebat per manus iniectionem
in rem adhibito carmine solenni, illustrante BRIS-
SON, de formulis p. 374. quæ tamen rursus imagina-
riu & simulata erat; alias enim manus iniectione dici-
tur, quoties nulla iudicis autoritate expectata rem no- vt olim in
bis debitam vindicamus, autore SERVIO ad Virgil.
lib. X. Aeneid. Pergit vero GELLIVS, & nouam
huius vis imaginarie rationem exponit: Sed post-
quam prætores propagatis Italia finibus, datis iuri-
dictionibus, negotiis occupati proficii vindiciarum di-
cendarum causa in longinquas res grauabantur, in-
stitutum est, contra duodecim tabulas tacito consensu,
vt litigantes non in iure apud prætorem manum conser-
rerent, sed ex iure manum consertum vocarent i. e.
alter alterum ex iure ad conserendum manum in rem,
de qua ageretur, vocaret, atque profecti simul in
agrum, de quo litigabatur, terra aliquid ex eo, vi
vnam glebam, in ius in urbem ad prætorem deferrent,
& in ea gleba, tanquam in toto agro, vindicarent;
quæ gleba etiam vindicia dicta fuit autore FESTO.
Formulas in hac re visitatas enarrat CICERO pro
Muraena. Vindiciis secundum possessorem datis, de
dominio contendebatur, consueto carmine: Fun-
dus, qui est in agro, qui Sabinus, vocatur, meus est,

eum ego ex iure Quiritium meum esse aio. Hoc modo actor vindicabat agrum: reus contra vindicabat: *imo meus*, quo ipso reuera iusti dominii exceptionem opponebat, quam si probauerat, non tantum absoluiebatur ab instituta actione, sed etiam exceptione rei iudicatae tutus erat contra quoscunque, quia de iure possessoris pronunciatum erat. l. 15. d. except. rei iudicis. Dn. BERGER de contra vindicatione §. 38. seqq. Evidem SIGONIUS cit. l. nouam speiem *vis simulate* facit, quæ moribus facta dicebatur, cuius mentionem iniciit CICERO orat. pro Cæcina his verbis: *cum hoc nouæ litis genus tam malitiose intenderet, placuit Cæcina, de anicorum sententia constituere, quo die in rem præsentem veniretur, & de fundo Cæcina moribus deduceretur.* Ipse GOTHOFREDVS quoque in not. ad cit. orat. hanc vim distinguit ab ea, quæ per manuum consertionem siebat, & cum his SAMVEL PETISCVS in lex. antiq. Rom. verbo *vis*. Enim vero non aliam vim commentitiam, quam quæ per simulacrum pugnæ in vindiciis dandis siebat, CICERONI intellectam fuisse, probabile est. Iure hereditario Cæcina fundum Fulcinianum, per Aebutium emtum, sibi asse-rebat. Postquam vero hic constituerat, se quoquis modo post mortem testatrixis fundum vindicatum, in foro Cæcinae Romæ denunciat, *fundum illum suum esse, seque sibi emisse*, adeoque in iure eum vindicare nitebatur. Quia vero Cæcina, vt heres, eum *suum* dicebat, cuius possessionem quoquis modo inuadere studebat AEVITIVS, lis vindicarum præmittenda erat, quam nouæ litis genus malitio-

litiosum vocat **CICERO**. Ergo, vt moris erat, conuenerant in iure de die, quo in *rem præsentem* iretur, id quod manus conserendi causa fiebat, vt de possessione ante omnia constaret. *Ad eum fundum, ait CICERO, profectus est Cæcina, ex quo ex conuentu vim fieri oportebat, & quidem ix moribus, quibus legis XII. scita paululum immutata erant, vt GEL-LIVS declarauit; sed Aebutius armata manu resistebat, vt moribus vis fieri non posset, vindicarum causa, quorsum rursus respiciunt hæc CICERONIS: cum Aebutius Cæcina malum minaretur per armatos homines, ibi tum Cæcina postulauit, vt moribus deducio fieret, h. e. vt manu consererent, & simulacrum pugnæ iniretur, per quod de possessione fundi duderetur, ostendereturque Aebutium non possidere. Reuera enim hunc causam in iudicium deduxisse, innuit **CICERO** statim ab initio, ostendens, eum impudentem fuisse, *quod in iudicium venire ausus fuerit*. Addit vero: *si facta vis esset moribus, superior in possessione retinenda non fuisset, quæ verba rursus indicant, vim hanc fidam vindicarum causa institutam fuisse, prout etiam existimat HOT-* TOMANNVS *in comment. ad orat. cit. tom. III. oper. p. 1120.**

S. VIII. Ulterius (II) vis debet esse *illicita*, seu (2) vis debet vt quis scienter sibi *sine iudice* contra leges ius dixerit, vbi tamen copiam iudicis habere potuit. Debet ergo tale factum perpetratum esse (a) *scienter, dolo male, ab eo, qui doli capax; vnde facile liquet, quinam in penam priuationis incidere queant, & quinam ab ea immunes sint, h. e. furiosi, mente capiti*

esse dolose
commissa,

pti &c. de quibus speciatim agit BARDILI *in explicat. l. 7. C. unde vi §. 40.* quæ cum plana sint, facile ex principiis communibus æstimari possunt. Sicuti vero *errantia* non est voluntas, ita non incidit in pœnam ius sibi dicentis, qui sibi noluit ius dicere, sed per errorem rem suam secum auferre intendens, rem alienam abstulit. Cæterum dum *dolum* desidero, tantum *scientiam* ius sibi dicentis innuo, vt propositum rem auferendi vel inuadendi habeat, vtut forsan persuadeat sibi ex quadam præconcepta opinione stultissima, tale factum non esse illicitum. Id ipse indigitat imperator in §. 1. *I. de vi honor. rapt.* casum adferens de eo, qui *aliquo errore ductus, rem suam esse existimans, & imprudens iuris eo animo rapuit, quasi domino liceret, etiam per vim, rem suam auferre posse* oribus; qui quidem a criminе *rapinae* absoluitur, sed non a pœna ius sibi dicentis, ne melioris conditionis sint stulti quam periti, cum illorum resupina opinio sit minus excusabilis, crassa, affectata, & ita ab hac pœna ciuali non excusat, *L. 4. quod vi aut. clam, conf. MENOCH. remed. s. recip. posse. n. 74.*

3) *Sine iudice vis illata.* §. IX. Sed etiam (*β*) *sine iudice*, cuius tamen copiam habere potuit, quis sibi ius dicere debuit. Quid ergo si copia iudicis deficiat? Variis ex causis id euenire posse, dubium non habet. Huc pertinet *iustitii* publica calamitas, præsertim *uniuersalis*, quo casu status *civilis* in *naturalem* quodammodo degenerat, adeo vt in eo obtineat illud, quod dicitur *Judic. XVII, 6. In diebus illis non erat rex in Israel, sed unusquisque, quod sibi rectum videbatur, faciebat,* Inter-

Ergo cessat
pœna priua-
tionis tem-
pore totalis
iustitii.

Inter regni Germanici misera fata talem statum nobis ob oculum ponunt, quo per vim, iudice supremo deficiente, quæuis peracta. Ita enim MVTIVS lib. XXI. chron. His temporibus arma ubique, leges fere nunquam dominabantur: *Quisque occupat, quantum potuit, per vim* Sc. Pariter THRITHEMIVS in chron. Hirsaug. ad ann. 1260. his temporibus cum non esset rex in terris, qui motus prædonum reprimere, omnia per tumultum, sine lege, sine ordine, pro lubitu fiebant. Qua de causa qui in tali statu calamitoso sibi ius dixit, non incidit in pœnam ius sibi dicentium, quia, ut ait GROTIUS de I.B. & P. lib. I. c.3. §. 2. n. 1. lex vetans sine iudice suum consequi, intelligi commode debet, ubi copia est iudicij. Conf. Dn. PRÆS. diff. de eo quod iustum est durante iustit. cap. II. §. 6. Interim talis sententia, quam quis, ut ita loquar, in propria causa tulit, vires rei iudicatæ non consequitur, sed, reductis iudiciis, causa hæc sub examen reuocari potest, ut tamen a pœna prædicta immunis sit actor.

§. X. Verum etiam extra statum iustitii copia iudicis cessare potest, ob præsentissimum in mōra pērículum, quod ad iudicis ordinarii auxilium con- fugere non permittit. Plenus est de hac materia STRVVIVS de vindict. priuat. cum commentatoribus ad tit. C. quando lic. vnicuique sine iudice se vindic. quorum tradita non regustabo. Mirum autem est, a plerisque hoc loco plane negligi nunciationem veluti in noui operis priuatam, qua nuncians reuera sibi ius dicit. Quamvis enim vim proprie & stricte loquendo alteri non inferat, in genere tamen per l. 13. quod

C

met.

met. caus. dicitur vis, quoties quis sibi *sine iudice* ius dicit. Iam vero qui *sine iudice* alteri nunciat nouum opus, pro *imperio* ipsi vice iudicis imperat, ut ab opere incepto tam diu desistat, donec de iure ædificandi constiterit. Ait ICtus in l.1. §. 2. d. *nunc. nou. oper.* *Nunciatio ex hoc edicto non habet necessariam prætoris aditionem, potest enim nunciare quis, et si eum non adicerit.* Permissum ergo est, ut quis ea in re sibi ius *interim* dicere possit, cuius peculiaris ratio cum a plerisque negligatur, ut plurimum etiam hæc priuata prohibito ad quævis opera noua applicari solet. Ego vero parcius eo remedio vtendum & illud ad eum casum restringendum esse arbitror, ubi periculum est in mora, ut prætor adiri, & eius auxilium statim haberi non possit. Dantur plura opera, quæ breuissimo temporis spatio in vicini præjudicium fieri possunt, adeo ut si magistratum adire, & *mandatum prohibitorum* ab eo petere vellet is, cuius interest, intra moram opus perfici posset, quo perfecto mandatum effectu careret. Ut ergo vicino iura intacta seruentur, eo in casu illi tantum permisum videtur, in re præsenti *sine iudice* opus nouum nunciare, cum etiam in aliis casibus, quoties dilatio periculum allatura est, recedatur a regulis iuris ordinarii. l.5. §. 12. *de nou. op. nunc.* Ita vero omnia plana sunt, simulque inde constat, ob quam causam ei, qui viam habet, denegetur nunciatio noui operis contra eum, qui in via ædificat in l.14. D. eod. videlicet non alia de causa, quam quod *ædificium exstruere* non sit causa talis, quæ in mora leuissima periculum habet, cum facile prætor adiri & per

& per eum prohiberi possit vicinus. Neque enim nunciatione priuata negata statim etiam negatur prohibitio per Prætorem, vt docet *l. 3. §. 2. eod.* cum hæc potius ordinaria & regulæ conformis sit, illa vero exorbitans, irregularisque censenda & ita magis ad exceptiones referenda.

§. XI. Variis autem modis contingere potest, Sibi ius sine ut quis sibi ius dicat *sine iudice*: (I) Si priuato ausu rem debitoris sui crediti causa occupat, vel eam, quam vindicare per iudicem debebat, inuadit, alterique eripit, de quibus casibus potissimum textus adducti loquuntur: (II) si quis quidem autoritate *iudicis* vtatur, sed *notorio incompetenti*, vt pote si per hunc sequestratio fiat, vel in possessionem implorans, expulso & deie^cto vero possessore, constituta- tur; tale enim factum iudicis incompetenti *extra-iudiciale* & mere priuatum censetur, habeturque ac si *sine iudice* quis sibi ius dixisset. *L. f. D. de iuris d.* Incompetentiam vero desidero *notoriari*, ob quam citatus ne quidem comparere tenebatur: in *dubia* & *ambigua* excusandus est implorans eius auxilium, quamvis vel maxime eius facta postea reuocentur, aut annullentur, quia sine iudice noluit procedere, eumque quem adiit, iusta de causa competentem esse credidit. *M E N O C H. remed. 5. recip. possess. n. 8. sqq.*

§. XII. (III) Similiter *sine iudice* agit, sibiique ius dicit, qui sub obtenu *rescripti* impetrati alienam peruidit possessionem, vtut auxilio iudicis peruerse procedentis vtatur. Huc collineat *L. memorient. 6. C. unde vi*, quæ desumpta est ex *l. 2. C. Theod. unde vi*, sed admodum deformata & corrupta.

Indigitat videlicet *cit. l.* 2. imperatores disponere de eo, qui se spoliatum a quopiam querebatur, seque audiri postulabat, adeoque impetraverat ad magistratum rescriptum, quo huic imperatum erat, ut restitueret supplicem in possessionem, si vi eum deiectum esse constaret. Quodsi ergo huiusmodi rescripti terrore, quod nec apud iudicem ediderat, nec aduersario intimauerat, possessorem turbare, itemque violentia praoccupare tentauerit, in perpetuum lite multandus est. Idem quoque dicendum, si *interlocutionem* iudicis impetraverit, veluti simplex mandatum de restituendo, eoque suppresso sub specie *iudicari* alienam inuasit possessionem; cum tamen talis interlocutio vim *iudicati* haud sortiatur, nec integrum sit impetranti, *sine iudice* ad executionem procedere, si vel maxime vis iudicati adesset tali mandato. Hunc sensum præ se ferre deberet *l. cit. 6.* in alium tamen intellectum a TRIBONIANO contorta, ut optime docet GOTHOFREDVS ad *cit. l.* Verba adulterata hæc sunt: *meminerint cuncti siue vulgato rescripto mansuetudinis nostræ siue sententia cuiuslibet iudicis utantur, in causis conueniendos locorum dominos esse.* Si ad mentem *l. 2.*, vnde desumpta sunt, hæc accipienda, hæc intelligi debent modo: qui rescriptum intuitu possessionis impetravit, illud vulgare & edere, atque nihilominus cum possessore de possessione adhuc contendere non vero ad executionem obtentu huius rescripti properare debet. Idem quoque de sententia iudicis *h. e. interlocutione* simplici vel *mandato* impetrato, quod inaudito possessore obtinuit, dicendum, quippe quo vti non debet, ad alterum expellendum,

lendum, qui nondum auditus est sed conueniens: nam de *re iudicata* vox *sententia* in *cit. l.* vel ideo capi non potest, quod conueniendi adhuc dicantur *domini locorum* h.e. possessores, id quod superuacuum est post rem iudicatam, post quam imminet executio. Additur ratio: ne inde iniuriarum nascatur occasio, unde *iura nascuntur*, quæ verba ad *iudicem* vnicē quadrant indigitantque, eum, inauditō possessore, non mox ad executionem *rescripti*, quod cognitionem nemini adimit, vel talis *mandati* pergere posse. In hoc recedit *l. 6. cit. a l. 2. C. 7b.* quæ non de *iudice* sed de eo loquitur, qui tale *rescriptum*, quod ne quidem edit, vel *interlocutionem*, quam supprimit, peruerso applicat modo, & possessionem alienam sub eius obtentu inuadit. Interim inde, noua hac interpretatione facta, palam est, non tantum eum *sine iudice* procedere, qui obtentu huius *rescripti* vel mandati iudicialis alienam occupat possessionem, sibique ita ius dicit, sed etiam, qui, edito *rescripto* vel mandato, iudici autor est, vt contra inauditum, haud cognita causa, ad executionem procedat, quia talis iudex *de facto*, ad instar *priuati*, procedit, adeo vt in hunc quoque casum pœna sibi ius dicentis constituta fuerit. Additur in *cit. l. 6.* *Quod si præcepta nostra implere neglexerint, omni negotiō, de quo iurgare cœperant, priuabuntur.* Parum enim referre videtur, vtrum quis sibi ius dicat omni auxilio alieno destitutus, an aliena ope vtatur, etiam *iudicis*, quinon ut *iudex*, sed *extraiudicialiter* seu *de facto* & vt *priuatus* procedit, & sic reuera alterum inique possessione pri-

uat. Inde vulgatum illud: *iudici de facto procedenti de facto resisti potest*, vti resistere licet priuato & spolium minanti, quod fusius explicat B. STRYK. *de facto iudicis de facto c. 1. n. 80. seqq. conf. MENOCH. remed. VIII. recup. poss. n. 8. seqq.* L. B. de LYNKER de grauam. extra iud. c. IX. p. 2. §. 44. n. 3. seqq.

Nec obstat, si
vel maxime
apparenter
iudiciale ope
vclus fuerit

modo auctor
iudicem im-
plorauerit.

& hic sine
cause cogni-
tione proces-
serit

§. XIII. Quæ cum ita sint, *sine iudice etiam procedere dicitur*, qui non *iudicialeiter ius sibi redendum existimat*, licet *apparenter iudiciale ope vclus fuerit*, quia factum hoc iudicis magis *spolium est*, via *facti non iuris*, imo facinus mere priuatum. Suppono autem (I) iudicem ita procedere a parte imploratum, vt *de facto* procedat, quia sic implorans in dolo est, & ipse fecisse intelligitur, quod per alium, licet sub *velamine iustitiae*, fecit. Si generaliter iudicis auxilium implorat, petitque causæ cognitionem, iudex autem, sine ea statim ab executione inchoat processum, huius, non partis, est delictum, pro quo iudex est plectendus, non auctor.

(II) iudicem, omessa *omni cause cognitione*, nec reo auditio, de possessione aliquem deiicere. STRYK cit. l. n. 97. Nec exceptio notorii iudicem auctoremque excusabit, cum semper dubium supersit, vtrum factum aliquod notorium dici queat, nec in hoc citatio sit omittenda. Ius canonicum quidem passim inculcat, in *notorio nullum processum obseruandum esse*, sed potius statim executionem faciendam, vt plenius ex huius iuris flosculis docet STRYK. *de notorio c. 1.* Enim vero optime IDEM monet, hanc doctrinam non tantum periculosa sed barbarem & ab omni iuris ratione alienam esse, cum multa dicantur

cantur notoria, quæ non sunt, eaque vnicē ab illis inuenta fuerit, qui optimos quosque sub prætextu *notorii* oppressere, quos per legitimos iuris trahentes vincere haud potuere. Ceterum non credendum est, in mandatis S. C. tale quid hodie fieri, ratio mandat etenim nec hæc *sine cause cognitione* decernuntur, & ubi decernuntur, instar *sententia* sunt, nec absque his mox ab executione fit initium, denique etiam contra hæc exceptio *sub- & obreptionis* adhuc salua est. Qua de causa si iudex adhuc aliquam causæ cognitionem adhibet, reumque citat, licet vel maxime *nulliter* procedat, minime tamen huic pœnae locus est, quæ statuta est iis, qui ius sibi dixerent, cum *sine iudice* actor nihil agat, & huius sit decernere & statuere, quomodo procedi debeat, atque ita moderari & temperare iniquas saepè partium petitiones, non vero statim eas sequi. Vulgatum est: *iniqua peti, ut obtineatur æquum.* conf. ME VIVS P. I. dec. 225. n. 4. Proinde si iudex lata sententia, in executione peruerse agit, si, appellatione interposita aliquid attentat, *spolium* quidem committere dicitur; at is in cuius fauorem hoc factum est, arguit nequit, quod ius sibi sine iudice dixerit. Neque enim statim qui *spoliare* dicitur, ius sibi sine iudice dixisse, censendus est, cum latius pateat *spolii* conceptus in primis secundum ius canonicum, quam facti, ius sibi sine iudice dicentis.

§. XIV. Quod si iudex ipsum ius sibi dicit, Quid si iudex videndum, vtrum procedat ut iudex ordine iudicia, sibi met ipsi rō, an vero *extra iudicialiter* ut priuatus, sine omni ordine iuris? Posterius fieret, si dominus emphateuseos,

teuseos, qui simul *iudex* est, ob non solutum cano-
nem mox inauditum expelleret emphyteutam,
eumque emphyteusi priuaret, id quod minime per-
mittendum. Licet enim iurisdictione prædictus sit,
ea tamen vti debet secundum iuris ordinem, non
contra inauditum, & quidem in causa propria, pro-
cedere. BERLICH. p. 2. concl. 4. 6. n. 9. CARPZ. P. 2.
C. 38. def. 2. § lib. I. rep. 87. STRVV. ex. II. §. 73. Er-
roneum enim & prorsus falsum est quorundam af-
sertum, integrum esse domino directo virtute *do-
minii directi*, priuata autoritate expellere emphy-
teutam in casu commissi fundi emphyteutici,
quo facto reuera sibi ius diceret, RICHTER P.
2. dec. 84. n. 3. adeoque in poenam ius sibi dicentis
incideret, a qua nec dominus directus excusatur;
qui simul *iudex* est, quia magis vt pars quam vt *iudex*
procedit, dum inauditum sine causæ cognitio-
ne priuat iure suo. Prius vero vbi contingit, poenæ
ius sibi dicentis locum non esse prorsus arbitror.
Aut enim illicite in *causa propria* iudicat aut licite.
Illud regulariter dicendum est, cum nemo debeat
esse *iudex* in propria causa, l. 10. de iurisd. adeoque
qui ita procedit, nulliter procedit, sine poena tam-
en priuationis. Quamuis enim etiam hoc modo
sibi ius dicere dicatur, vt docet l. vn. C. ne quis in sua
causa generaliter decernens, neminem sibi esse iudi-
cem vel ius sibi dicere debere, cum in re propria ini-
quum admodum sit, alicui licentiam tribuere sententia;
sciendum tamen est, in l. 13. quod met. caus. prohi-
beri tantum, ne quis in re sua sibi ius dicat *sine iu-
dice*. Qui ergo in re propria vt *iudex* procedit,
ordi-

ordinemque iuris seruat, nulliter quidem procedit, adeoque peccat, interim ad eum *l. cit. 13.* applicari nequit, quæ vnicē de eo casu intelligenda, quo quis sibi ius dicit, *ordine iuris non seruato*, & ita priuato ausu *sine iudice*, cuius est, ordinem iuris seruare, & cognita causa sententiam ferre publica Reipublicæ auctoritate, id quod etiam facere intendit iudex, qui in *propria causa* iudicare intendit, ordine seruato. Ceterum ybi iudex in causa propria licite procedit (id quod in quibusdam casibus permisum est) eo minor dubitandi est ratio. Etenim (*I*) de iniuria sibi illata cognoscere & iudicare non prohibetur, si (*a*) euidens est ex ipsis apparet actis; (*b*) intuitu officii illata, quam statim iudex, coram quo causa principalis pendet, sine novo processu arbitraria pena coercere potest. *M.E.V. P.5. dec. 374. n. 8.9.* Ut plurimum hæc decisio trahitur ex *c.1. de pœn. in 6.* ybi pontifex ita; *Licet Rhemensi archiepiscopo suam prouinciam visitanti eos, qui sibi vel sue familie, aut aliis, quos propter hoc per eandem prouinciam dirigit, & etiam quando concilium conuocat, eos, qui nunciis suis, quos pro illo vel alius per prouinciam ipsam sua debita iurisdictione utendo transmittit, iniuriari presumunt, si hac occasione sua in his impediatur iurisdictio, pro iniuria huiusmodi (dummodo existat notoria) propria auctoritate punire, vt probat *CARPZ. P. I.C. 26. def. 28. n. 6. & pr. crim. q. 8. n. 84. sqq. GAILIVS I. obs. 39. n. 1. sqq.* Censemur enim hæc vindicta magis publica quam priuata, nec tam suam, quam officio suo, quod publicum est, illatam iniuriam vlciscitur. Neque vero credendum*

D

est

In quibus-
dam casibus
iudex sibi li-
cite ius dicit

est, hoc tantum speciatim archiepiscopo Rhemensi concessum fuisse. Nam addit pontifex generalem decisionem: *sibi etiam & metropolitanis aliis in suis provinciis (dum sic in illis iurisdictionem exercent) puniendo manifestas & notorias offensas tunc eisdem illatas vel suis (etiam si exinde impediri iurisdictionem huiusmodi non contingat) libera sit de nostra speciali concessione facultas.* Vindicant tales iniurias per censuras ecclesiasticas seu excommunicationem, ut eo gravior terror laicis, imperiosis clericis resistere voluntibus, incutiatur, quo ipso factum est, ut imperium suum sacrum admodum & latissime in laicos extenderint. Quamvis vero, quod lubens fateor, papalis haec decisio vnicce sacro imperio faueat, & pro eo augendo, firmando, dilatando excogitata sit, nec omni magistratui ecclesiastico, sed tantum maiori, in illustri dignitate constituto, speciali concessione pontificia, haec prerogativa data sit, non abhorret tamen praxis hodierna, inde nata, a recta ratione, & ita eo magis tolerari potest. Iam olim apud Romanos itidem omnibus magistratibus majoribus secundum ius potestatis concessum erat, *iurisdictionem suam defendere paenali iudicio, l. vn. pr. si quis ius dic. non obtemp. neque enim contemni se pati debebat, l. 19. pr. de offic. praef. sed contemtam maiestatem suam vindicare, ut dicitur in l. 9. de iurisdict. cum non tam in propria causa & sibi ius dicat sed magis reipublicæ. Præterea quoque generali consuetudine Germaniæ receptum, ut nobiles, qui iurisdictionem patrimoniale habent, eam contra subditos suos in causis propriis exercere possint, eos conuenient-*

ueniendo coram iustitiario & scabiniſ, actaque transmittendo ad extraneum ICtorum collegium. ZANGER de except. P. 2. c. 1. CARPZ. P. I. C. 2. def. 20. n. 4. Dn. WILDVOGEL de caus. propriac. 2. §. 18. Qua de causa dominus directus iurisdictione hac inuestitus ad priuationem emphyteuseos coram suo iudicio agere, & lite finita tandem ipſe sententiam exequi potest, vt non incidat in pœnam ius sibi dicentium.

§. XV. Denique inuasores rei alienæ impri-
mis sibi sine iudice ius dicunt, siue rem immobilem
occupent, qui proprie inuasores dicuntur, siue rem
mobilem debiti vel alius iuris causa propria auto-
ritate capiant. Quamuis enim de iure ciuili in re mo-
bili locum non habuerit interdictum unde vi, pœna
tamen ius dicentium obtinuit. §. 1. I. d. vi bon. rapt.
Huc pertinet (I) si conductores rerum alienarum
seu alienam cuiuslibet rei possessionem precario de-
tinentes finito contractu restitutionem dominis si-
ne vlla iusta causa denegant, & in hac contumacia
vsque ad sententiam definitivam subsistunt. I. pen.
C. loc. l. 10. C. unde vi qui tanquam inuasores alienæ posſeſſionis, tenentur, h. e. non tantum rem con-
ductam restituere, sed etiam aestimationem eius
præterea soluere debent. Hæc enim pœna iis im-
minet, qui res reuera alienas inuadunt, in quibus
cum nihil amittere queant, aestimationem eius sol-
uere coguntur. §. 1. I. d. vi bon. rapt. Nouum & pec-
uliare recuperandæ posſeſſionis remedium MENO-
CHIVS remed. XI. ex his legibus concinnauit, sine fo-
lido fundamento, cum noua applicatio iuris com-
munis ad hunc casum specialem tantum in cit. l. 10.

Ius quoque
sibi dicunt
inuasores
rei alienæ in
genero.

deprehendatur. Dixi *sine iusta causa* denegandam esse restitutionem; nam ob *expensas* in rem conductam factas conceditur quidem retentio, non vero propter exceptionem *dominii*, quod sibi afferit conductor. *I. 25. C. locat.* (II) Si legatarius rem legatam, adita iam hereditate, omnibusque rebus ab herede iam possessis, citra voluntatem heredis occupat, qua in re sibi ius dicit *sine iudice*. *I. 5. C. de legat.* Quodsi ante hereditatem ab herede, occupatam legatum inuadat, quia vacua adhuc possessio fuit, vim proprie non facit, sed tenetur quandoque interdicto *quod legatorum*, quatenus heredis interest, rei legatae possessionem habere, præstata tamen cautione, de ea restituenda, si contra se iudicatum fuerit. *I. vn. C. quod legat.* (III) Qui rem ullam debitoris, debiti causa, eo renitente, occupat, vel ei inuito auferit: *I. 13. quod met. caus.* item qui ob debitum debitoris sui fundum occupat, ingreditur que, aut etiam signacula *per propriam potestatem* (h. e. *sine iudice*) rebus debitoris mobilibus, *Nou. 60. c. 1.* immobilibus vero titulos imponere præsumit, *Nou. 164. c. 1.* qua ratione eas sibi vindicabat, & *sine iudice* asserebat. Vtrumque prohibitum est in *tit. C. vt ne mo priuatus titulos præd. suis vel al. impon.* & *tit. C. vt nem. liceat sine iudicis auctor. signa rebus impon. alien.* Ex titulis enim & signis impressis æstimari solebat, cuius res esset, ut *AVGVSTINVS* morem sui temporis referens in enarrat. *Pf. XXI.* obseruat: *Videte fratres, quando aliquis potens inuenerit titulos suos, nonne iure sibi rem vindicat & dicit: non posceret titulos meos, nisi res mea esset; titulos meos posuit,*

suit, mea res est: vbi nomen meum inuenio, meum est.
 Reuera ergo impositio titulorum & signorum erat
 quædam rerum inuasio, qua quis sibi ius dicere co-
 nabatur sine iudice. Inprimis vero sine iudice, per
 vim, agit, qui pignorationes facere audet, h.e. alii
 pro alio aliquid extorquere, quod non tantum pri-
 uatione actionis, quam habuit, sed etiam quadrupli
 pœna punitur. *Nou. 52. c. 1.* Item qui debitoris li-
 beros in pignus aut in seruile ministerium retinere
 tentat. *nou. 134. c. 7.* Denique quilibet violentus rerum
 inuasor, quem leges supra citatæ potissimum sub hac
 pœna reuocant.

§. XVI. Denique quoque necesse, ut quis si- 4) Requitut
 bi sine iudice ius dixerit more *iniquo & improbatō* vis illata mo-
 h.e. præter legis concessionem aut voluntatem de- re improba-
 bitoris, possessoris, testatorisque. Ex tali enim vi- to.
 demum tumultus oriri in republica possunt, ad
 quos declinandos iudicia publica sunt constituta.
 Ex triplici ergo fundamento quis sibi *licito more ius*
sine iudice dicere potest: (I) ex concessione *legis*:
 (II) *testatoris*: (III) *debitoris vel possessoris*. Sicuti
 enim, qui secundum legem agit, nemini facit iniuriā,
 ita nec volenti ea infertur. Quod ergo con- Excusat
 ceſſionem *legis* concerneſſit, palam est, quandoque ex qui vim in-
 tra ordinem leges permisſe vim quandam priuatam, fert 1) ex le-
 qua actor sibi ius dicit sine iudice in suis rebus. Hoc gis concessio-
 ne. contingit in *nuntiatione noui operis realis*, quæ per
 manum fieri dicitur in *l. s. §. 10. de nou. oper. nunc.*
 quoties vicinus in nostrum ædificat; ne enim hoc
 modo possessionem adipiscatur, permisſum est, ma-
 nu deſtruere, quod in nostro a vicino est ædifica-

tum. Evidem nunciatio per manum videtur eadem fuisse, quæ alias per iactum lapilli fiebat, cuius mentio fit in l. 6. §. 1. si seru. vind. l. 1. §. 5. l. 20. §. 1. quod vi aut clam, sed recte obseruat SCHILTER ex. 42. §. 16. sqq. realem destructionem intelligi per eam nunciationem, quæ per manum facta dicitur, & verba in l. 5. §. 10. D. N. O. nunc. i. e. per iactum lapilli esse ab imperita manu interpolata, quod iactus lapilli nuda erat solennitas, vis *coincidentia* seu *imaginaria*, cum tamen possessionem nobis conseruare integrum sit etiam vi adhibita. Hoc modo facile intelligi potest l. 7. §. 3. quod vi aut clam, si tu ædificaueris vi aut clam (in meo) ego idem demolitus fueris vi aut clam pro conseruanda mea possessione, & utaris aduersus me interdicto, exceptio, quod tu vi aut clam ædificaueris, mihi profutura est. Addit tamen VLPIANVS quod non aliter procedere debet; nisi ex magna & necessaria causa h. e. pro conseruanda mea possessione indubia, si vicinus in meo solo, me absente forsitan, aliquid immisit vel ædificavit, quod tamen sine vilo tumultus metu facile destruere possum. In meo enim licite quid agere, & sic licite destruere possum, quod alter in meo fecit, quemadmodum licite aquæ ductum intercidere possum, quem alter sine seruitute per meum fundum traiecit. l. 29. §. 1. ad L. Aquil. Huc quoque pertinere videtur, quod, inquilino non soluente pensionem, dominus ædium, obligatis iis per Notarium, quæ intus erant, possit fores ædium percludere l. pen. in quibus caus. pign. vel hypoth. tac. contr. EMVNDVS MERILLIUS lib. 2. obs. 25. PACION de locat. cond. c. 40. n. 40. sqq.

§. XVII.

§. XVII. Hac occasione non inepte quæritur, an conductor, si per biennum pensiones non soluerit, propria possit expelli auctoritate a locatore? Non desunt, qui hanc *priuatam cessionem* permis-
sam esse contendunt: 1) quod locator per colonum possideat, & ita prohiberi non possit, ut in posses-
sionem rei suæ eat: 2) quodsi colonus domino re-
fisteret, eumque admittere in fundum nollet, do-
minus ut deiectus interdicto *unde vi* agere posset: 3.
12. l. 18. de vi & vi armata 3) quod in l. 61. pr. locat. occurrat casus de *ciclo colono*, a domino pen-
sionum debitarum nomine conuento; cui tamen actio
deneganda foret, si sibi ius impune dicere non pos-
set: 4) quod ob non solutam mercedem vel *inui-*
tum colonum expelli posse afferat ANTONINVS in
l. 3. C. loc. quæ *expulso* non potest non priuata quæ-
dam *executio* esse, id quod potissimum 5) arguit
ICtus in l. 54. §. 1. locat. proponens pactum inter lo-
cateorem & conductorem, ne *infra tempora locatio-*
nis conductor de fundo repelleretur, & *Si pulsatus esset,*
pœnam decem præstaret locator. Hoc pactum sine
dubio morem antiquum, expellendi propria aucto-
ritate conductorem, præsupponit, qui adeo non
improbatur, ut potius, conductore per biennum
pensionem non soluente, locatori indulgeatur, eum
sine metu pœna promisse expellere. Hæc *expulso* si
per iudicem actione mota locati facta fuisset, frustra
ICtus afferuisset, agentem conductorem ad pœnam
per exceptionem *doli* repellere. Etenim si locator
agere debuisset, mox conductor ipsi hoc *pactum pœ-*
nale opposuisset, nec obligatus fuisset, ut eo no-
mine

An hæc pro-
bari possit,
conductore
non soluente
pensionem?
Rationes pro
affirmativa
sententia,

mine actionem mouisset. Denique 6) non stringere argumentum a creditore desumptum, qui hypothecam propria autoritate occupare prohibetur, l.3. C. de pignor. censem, quod hic rem alienam occupare intendat ab alio possessam, locator vero rem propriam ingrediatur, cuius possessio adhuc penes ipsum est, adeoque suo iure vtatur licite. MENOCH. remed. V, recuper. possess. n. 46, PACION de locat. cond. pro negatione, c. 55. n. 12. BODIN. de expell. conductore th.3. In alia omnia iuerunt FRANZK. ad tit. locat. n. 182. FAGHINEYS lib. I. controv. c. 97, L. B. de LYNKER de expulf. conduct. si pension. non paruerit p.32. quod leges a propria sibi iuris dicendi potestate abhorrent, eamque prohibeant, quodque ex hac expulsione, si colonus sese ingredienti manu armata opponeret, tumultus aliaque mala oriri possent, & quamuis leges expulsionem permittant, non alia tamen intelligi possit aut debeat, quam adhibito iudice & causa cognita facta. In hoc interpretum dissidio status controvrsiae ante omnia recte formandus, & videndum quid sit propria autoritate expellere? Nam 1) id potest intelligi de vi etiam adhibita & resistenti colono illata, ut hoc modo expulsus sit. Talem expulsionem per vim factam leges improbat, cum etiam deiectus sit restituendus, qui ipsemet vi clam vel precario possidebat; l.14. de vi & vi arm, precario possidens autem fere eandem cum conductore possessionem habet. Quin quod si locator fundum vendit, & iussit, emtorem in vacuum possessionem ire, quam colonus intrare prohibuit, postea emtor vi colonum expulit, colonus contra hunc

decisio.

hunc interdicto *vnde vi* agere potest, si vel maxime *voluntate venditoris* colonum *vi expulisset*, quod mandatum illicitum vocatur *in l. 18. pr. de vi & vi arm.* Denique si colonus resistit, manumque armata locatori, possessionem ingredienti, obiicit, adeoque eum non admittit, colonus *per vim possidere* incipit & *spoliator est*; *l. 12. & 18. cit. tit.* at vero nec qui *vi possidet* deiici per vim potest, *l. 14. cit.* sed potius contra eum interdicto *vnde vi* extendit. *l. 12. & 18. cit.* (II) Id potest intelligi de *expulsione* absque *vi armata*, sine iudice tamen facta, quæ etiam *vim* quandam arguere videtur iuxta *l. 13. quod met. caus. l. pen. ad L. Iul. de vi priu.* sed in sensu magis *latiori*, quatenus *sine iudice* sibi ius dicit. Talis *priuata expulso*, si vel maxime inuitus recedit colonus, permissa erat, quia dominus adhuc possidebat, & ita suam possessionem continuabat. Fingamus Titium hortum ad sex annos locasse Lucio atque huic per biennium pensionem non soluisse, Titium vero adhibito claustro fores horti, ut Lucius eum intrare non posset, percludere, quamuis id ægre patiatur, non tamen agere potest, quia *iure possessionis sua* id egit locator. Quid si ædes locatas ingrediatur locator, & repagulis serisque cœnaculis quibusdam appositis coegerit conductorem, vt discederet? Sibi proprie ius non dicit, sed possessio, (quam adhuc habet, sibique tamdiu conservat, quamdiu conductor non resistit) hanc facultatem ipsi concedit; qui autem *iure sua possessionis* contra morosum conductorem vtitur, nemini facit iniuriam. Sicuti itaque hoc casu locator non

E

inci-

incidit in pœnam ius sibi dicentium, ita aliud dicendum videtur, si resistentem conductorem *per vim* expellit, id quod leges improbant, adeoque si ne dubio pensionibus a conductore adhuc debitis priuandus est.

2) Ex testatoris concessione,

§. XVIII. Sed transeo ad facultatem *a testatore* legatariis concessam, legata propria auctoritate occupandi; quamvis enim legatariis & fideicommissariis id ipsum alias interdictum sit, & legata ab aliis sint præstanta, non occupanda; datum tamen est testatori, ut *ijs ingrediendi* propria autoritate exercere possit. Hoc etiam factum censetur, quando testator legatarium *executorem testamenti* constituit, qui cum possit aliis legata soluere, cur non etiam sibi eadem præstaret? Denique eundem effectum habet clausula *constituti possessorii* legato adiecta, quæ efficit, ut legatarius viuente testatore rem legatam possedisse videatur. STRVV. de vind. priu. c. XV. aph. 2. STRYK de caut. testim. MENOCH. remed. s. recip. poss. n. 50. COLER de proc. execut. lib. 2. c. 2. n. 26. Ceterum hæc concessio a testatore indulta effectum quidem suum sortiri potest, possessione adhuc vacua, non vero ea iam ab herede apprehensa, a quo non *manu* sed per *iudicem* res repetenda, ne sibi ius dixisse videatur. Quid tamen si id sibi dixerit, an incidit in pœnam l. 5. C. de legatis? Id non putarem cum STRVV 10, quia probabilem pro se habet causam, quæ eum excusat.

3) Ex conuentione debitoris.

§. XIX. Denique veniendum ad manus iniectionem per *conventionem* permissam, quæ in *pacto de ingrediendo*, propria auctoritate bona debitoris occur-

occurrit. l. 3. C. de pignor. STR V V. cit. l. c. 14. apb. 2.
sqq. COLER. de proces. execut. l. 1. c. 5. n. 17. sqq.
Pactum tale valere euincunt (I) ex l. pen. C. de pign.
act. vbi dicitur: *nec creditor citra conuentionem vel
präsidialem iussionem debiticausa res debitoris arbitrio
suo auferre potest*, vnde colligunt manus iniectionem
debiti causa in res debitoris permitti tum ex
conuentione tum ex immisione prætoria: (II) ex l. 56.
de contract. ent. vend. & l. 1. C. si mancip. ita venier. ne
prost. vbi itidem pactum manus iniectionis approba-
tum videtur; (III) ex l. 1. § 2. si seru. export. ven. quæ
demonstrant, iure suo vti, qui ex pacto manus in-
iectione vsus est; (IV) ex hac ratione naturali, quod
vim facere non videatur, qui ex voluntate præce-
dente debitoris sibi ius dicit, cum pacta dent legem
contractui, nec inde turbarum aut armorum occa-
sio metuenda sit, quod mutuo consensu contrahen-
tium factum est. (V) Denique idem pactum pro-
batum videtur in l. 3. C. de pignor, creditores, qui non
reddita sibi pecunia conuentionis legem, ingressi posses-
sionem, exercent, vim quidem facere non videntur,
adeoque contra eos locum non habet pœna ius sibi
sine iudice dicentis, imo nec remedium vnde vi:
attamen autoritate præsidis possessionem adipisci debent,
seu consultius agunt creditores tutiusque, si autoře
iudice possessionem adipiscantur, quia si debitor re-
sisteret, grauiora inde mala metuenda forent. Quodsi
ergo citra periculum armorum ingredi potest pos-
sessionem creditor, iure suo vsus est, nec debitor de
vi facta conqueri potest: resistente autem debitore
per iudicem adipisci debet possessionem, remotis

E 2

omni.

omnibus ambagibus, quippe qui virtute huius pacti executiue procedit.

Pœna sibi ius dicentis.

§. XX. Pœna, sibi ius sine iudice dicentis est priuatio iuris, cuius intuitu rem alterius sine iudice occupauit, vel si nullum ius habuit, estimationis rei ablatæ, & simul restitutæ præstatio. Vnde a) si debiti causa, creditor res debitoris inuadit, ius crediti non habebit, vt dicitur in l. 13. quod met. caus. ad coque non tantum rem, quam temere occupauit, per interdictum reddere compellitur, sed etiam præterea agens de credito exceptione, quod sibi ius dixerit, repellitur. b) Si rem sibi furto ablatam, & forte furtuna penes Titium deprehensam vi abstulerit, rei sua dominio cadit, vt dicitur in §. 1. l. de vi bon. rapt. Cui vero acquiritur, vtrum fisco, an ei, cui per vim ablata? Fisco fauet HOTTO MANUS ad cit. §. 5. argumento ducto a voce cadere, h. e. cadueam fieri, quod tamen admodum lubricum est, cum dominio cadere dicatur in genere, qui dominio priuatur. Evidentius pœnæ huius effectus traditur in l. 7. C. unde vi, qua duo sibi ius dicenti imperantur, tum vt possessionem, quam abstulit, restituat, tum vt dominium eius rei amittat. Illud præcedit, hoc sequitur. Etenim post restitutionem rei, si vindicat rem suam, exceptione repellitur, nec eo nomine, vt agat, necesse est. Interim sententia iudicis omnino desideratur, ne inauditus condemnetur, quamvis haec magis declaratoria quam priuatoria esse videatur, cum ex legis dispositione, & sic ipso iure cadat iure suo, fecus ac statuit MENOCH. rem. V. recip. poss. n. 66. Quæ cum ita sint palam est, sibi

sibi ius dicentem, qui remedio recuperandæ posses-
sionis conuenitur, non audiri, si vel maxime *do-
minii* exceptionem *in continenti* probare velit, quæ
probatio hoc casu sine omni foret effectu, cum ni-
hilominus dominium amissum sit. γ) Denique si
rem mobilem vel immobilem occupauit, quam
suam esse putauit, eam non tantum reddere sed
præterea etiam solidam rei æstimationem compel-
litr per cit. §. 1. I. d. vi bon. rapt. l. 7. C. unde vi.
Hunc in finem communiter concedunt *condicione-
nem ex lege*, quod noua lege hæc obligatio introdu-
cta, nec in ea cautum, quo genere actionis expe-
riamur. MENOCH. *remed. IX. recup. poss. n. 310. sqq.*
Hæc sententia mihi vel inde minus accurata vide-
tur, quod in hac specie obligatio non immediate *ex
lege* fluat, sed *ex delicto*, quod reus sibi ius sine iu-
dice dixerit, adeoque heredes ad solidam rei æsti-
mationem conueniri non possint (est enim omnis
obligatio ex delicto personalissima; l. s. de calumn.)
qui sine dubio conueniri potuissent, si *condicio ex
lege* instituenda esset. Ceterum non dubium est,
quin hodie per modum cumulationis simul agi-
queat & ad rei restitutionem & ad solidam eius æsti-
mationem. Ipsam æstimationem rei quod concernit,
ex merito actoris arbitrio est committenda, salua
tamen moderatione iudicis, quæ si per iuramen-
tum in litem confirmata fuerit, reus ad eius præsta-
tionem condemnandus est. Diuerso iure vtuntur
Saxones, qui in *vi expulsua* spoliatorem ad iura-
mentum admittunt, quod vocant *minorationis*, ut
vel æstimationem ab actore factam præstet, vel suo

iuramento confirmet, vtut de hoc casu *specialiter* apud eos nulla mouebitur controuersia, cum vna- nimiter doceant, pœnam ius sibi dicentis sine iudi- ce nunquam in Saxoniam fuisse receptam, cuius con- trarium tamen cap. seq. demonstrabo.

Remissione de exceptioni- bus.

§, XXI. Plures vero exceptiones suggesterunt traduntque interpretes, quas longa serie colligere licet ex traditis *MENOCHII remed. IX. recip. poss.* quæ docent in multis casibus hanc pœnam applicari non posse. Cum vero pleræque ex fundamentis antea iactis facile æstimari & diiudicari possint, no- lo me his specifice enarrandis immittere, ne limi- tes mihi præscriptos transgrediar, sed statim ad hu- ius doctrinæ vsum hodiernum progredior.

CAP. II.

De pœnaius sibi dicentis hodierna.

S. I.

De vsu huius
doctrinæ ge-
neratim.

SEntentiam juris Romani de *pœna ius sine iudice sibi dicentis* ex eiusdem penetralibus pro insti- tuti ratione erui. Cui vero vsui? forsitan quispiam obiecerit; quid iuuat tantam im- pendere diligentiam circa otiosas quæstiones, nul- lum vsum in foris habentes? Facile vero quilibet animaduertet, me hunc laborem suscepisse, vt in- quirerem, an vsum hæc doctrina haberet practi- cum, & in quantum sese hic extenderet? Neque enim inutilis & otiosa dici potest meditatio, quæ propter *vsum* potissimum suscipitur; in hunc autem nemo

nemo penetrare eumque recte eruere potest, nisi ante rem ipsam recte perspectam cognitamque habeat, de cuius applicatione quæritur. Neque rursus illorum, qui de vsu frustra dubitari credunt, supponuntque, ius Romanum in quibuscumque scitis esse applicabile, auctoritate deterreor aut moueor, cum *postulatum*, quod assumunt, gratis assumant, non probent, nec per rationes solidas nec per experientiam; imo vero *status rei Germanicae* & huic iuncta experientia in contrarium docet, plura iuris Romani capita nec hodie recepta esse, nec recipi potuisse, ut vel doctrina de pactis nudis & stipulationibus docet.

§. II. Si vsus huius doctrinæ ex opinionibus Præmittuntur testimonioisque interpretum æstimandus foret, quid tur eorum supereriset, nisi vt iudicium de vsu suspenderemus, qui vsum huquia in utramque partem cateruatim cohortes produci possunt sine vlla spe victoriae certæ? Sunt infiniti, qui pro vsu militant; sunt etiam qui eum impugnant, destruunt, prosternunt. Horum castra sequuntur magni inter Ictos heroes, quos primo loco in aciem producam. GEORGIVS EVERHARDVS Vol. 2. cons. 7. n. 8. simpliciter ait, *in spoliis, simpliciter, siue aliquo modo violentis, non obtinere amplius pœnam legis, si quis in tantam, iam pridem diuturnus vsus est obseruantia declarauit, ita ut ad aliam declarationem non sit configiendum.* Pariter VOETIVS ad D. tit. quod met. caus. §. 17. moribus nostris, ait, ille iuris rigor mitigatus est, quod auctoritate priuata occupans debitoris bona, & debitum in electo terrore extorquens, atque ita ius sibi dicens, ius crediti

diti non amittit. Præiuit eum PEREZ in C. tit. unde vi n. 31. dicens: *hodie generaliter cessare videtur astio ex d. l. 7. C; unde vi ad poenam ibi præscriptam, sed is, qui vim facit, damnatur in id, quod interest aduersarii, & extra ordinem punitur pro delicti vel facti qualitate.* Secutus est tum COVARRVVIAM lib. 3. var. resol. n. 7. intrepide afferentem, totius orbis Christiani vñu atque praxi antiquatam esse hanc poenam; tum FRANCISCVM SARMIENT. lib. II. select. interp. c. 13. n. 17. testantem, se poenam huius legis nunquam vidisse practicari, quod etiam de regno Galliæ attestatur CHRISTINAEV S Vol. 2. dec. 184. n. 4. Præterea GRONEWEGEN ad l. 13. quod met. cauf. generaliter tradit; *hodie ius crediti non amitti, rationem autem pro more nullam addit.* Plenius de non vñu huius poenæ philosophatur ad §. 1. I. de vi honor. rapt. pluresque præterea testes in scenam producit. Nec horum partes deserit STRVV. ex. 45. th. 114. maxime GREGOR. BICCI autoritate motus, qui rer. quotid. scđ. 4. th. 185. lit. m. præiudiciis hanc sententiam illustrat roboratque, simulque ad Rostochienses, Marpurgenses, & Argentoratenses prouocat. Pariter ad ea prouocat Andreas CLYDIUS rerum quotid. n. 66. & anno 1616. in Facultate Helmstadiensi pronunciatum esse testatur, constitutionem si quis in tantam, vñu non seruari. In eandem inclinat sententiam FINCKELTHAUS obs. 124. & non tantum in Saxonia, sed etiam extra eam non-vñsum hujus poenæ agnosci tradit. Quin parum abest, quo minus etiam in horum sententiam abeat HARPRECHT vol. nou. conf. 48, n. 222, non pro ratione

ratione *dubitandi*, sed *decidendi* sequentia adferendo;
So ist doch hingegen dieses niemanden unbekannt,
mit was Animosität nicht einzelne und priuati, iidem-
que celeberrimi ICti, die wiedrige Meinung souten-
viren und verfechten / ja auch ganze und fürnehme
Collegia auf Vniuersitatēn dieselbe pro penitus ab-
rogata halten/ sondern dieses kommt hiebey in für-
nehmlichēs Bedenken/ daß auch der visjährige und
in des höchstpreislichen Käyserl. Reichs Hoff-Raths
Proces und Rechts-Händeln höchst versirte Reichs
Hoff-Rath Herr von Andler diese Frage; ob nach
der Verordnung dictæ l. 7. an dem höchsten Reichs
Gerichten hodienum gesprochen werde? in ziemli-
chen Zweifel sejet / wenn er in selner iurisprud.
publ. & priu. lib. 2. tit. 2. in f. diese dubia verba brau-
chet: *is qui alterius prædium occupat, priuatur domi-*
nio rei l. 6. & l. 7. C. unde vi, in qua non tantum inua-
sor rem restituere cogitur, sed & si dominus fuerit, do-
minum amittit: quamvis aliqui hanc legem abolitam
esse tradant. Noch größeren Zweifel aber hat der
Herr Referens in causa der Herren Graffen v. C.
W. wider das Closter Br. in erst neuerlich an der
Cammer erstatteten relation der Ursachen erwecket/
quod dicta l. 6. C. unde vi. modernis moribus nullum am-
plius usum habeat positivæ & his conceptissimis forma-
libus adstruit: terita & quarta exceptiones litis quasi
ingressum impedientes sunt: man hätte diesen Pro-
ces wider sie Herren beklagte nicht erkennen sollen/
erstlich welln das Kloster propter commissum in an-
no 1628. spolium vi legis si quis in tantam. C. un-
de vi alle seine an deuen dreyen Dörffern quæstio-

F

nis

nis gehabte Rechte verloren: Secundo das ver-
mōde Reichs-Abschiedes de anno 1555. §. die weil aber/
item &. wir befehlen und gebieletzen/ &c. wegen solcher
veränderten geistlichen Güther die Inhaber ins künf-
tige mit keiner citation, mandat, oder Procesz be-
schweret werden sollen. Sed parum euincunt. Nam
1.) constat pœnam legis si quis in tantam. C. unde vi. ho-
die in desuetudinem abiisse, hoc in locum eius surro-
gato, quod spoliatus ante omnia restitui debeat, nec
prius respondere teneatur per vulgata. Ita equidem
ille in recentissimis votis Cameralibus a Dn. HEN-
RICO GVNTHERO THULEMARIO editis P. I. re-
lat. 25. n. 4. sqq. q. 910. Add. ibid. relat. 26. n. 40. Plu-
res in aciem deducere non vacat, quos consignant
HARPRECHT cit. l. n. 2. BARDILI a. l. 7. C. unde vi
ib. 2. sqq. STRVV. cit. loc.

¶. III. Contra hos alii, etiam magni nominis
ICti, aciem instruunt, & validioribus copiis in-
structi magno animiconatu usum huius causæ vin-
dicant, asserunt, propugnant. Instar omnium sit
prælausdatus BARDILI, qui ad cit. l. 7. th. 4. sqq. va-
riis argumentis usum huius pœnæ hodiernum ad-
struit, de quibus postea agendum. Grauiter vero
contra dissidentes edisserit L. B. de LYNKER de
grauam. extraiud. c. 9. P. 2. §. 44. increpando eos,
quod statim non usum legis crepent, quando ali-
quandiu lege quadam vel imperitia partium vel aduo-
catorum aut iudicis nemo vius est, vel ea quid ex ve-
teri iudiciorum forma seu statu præfert, aut paulo ri-
gidior est, quam ut ea duritie opus esse censeatur. His
præmissis hanc subiungit epilogus. Verum uti iuris
anti-

antiqui sepulchris haud unquam libenter insidemus, nisi quoad recreatis ad recentiorem fori quoque literaturam licet resurgere: ita iurisprudentia illam detractionem iuuenibus pricipue extorquere solemus, cum eadem semel afflata ingenia veluti pestilenti quodam sidere perculta ad frugem postea peruenire haud unquam possint. Sed prolixior est in hac exprobratione, ut cetera hoc transferre haud expedire videatur. Hac enim finita, transit ad praxin dictæ l. 7. eamque vindicat prouocando ad protribunalia a se edita. *Adde illis*, pergit, *præiudicium apud GYLMANVM in Symphorem*. p. 35. vbi Ser. *Elect. Brandenburg.* in anno 1581. iuxta d. l. quem castro spoliauerat, condemnatus est: coque recentius aliud (utut magis in speciali l. 5. C. de legat. fundatum) in c. *Hohenl. Mauensteine contra Hohenl. Waldenburg* mandati de edend. inuent. in qua cum legatarius propria autoritate contra voluntatem heredis, rem legatam sibi sumisset, Camera Spir. una citationem ad vindendum se incidisse in paenam priuat. legat. decreuit. Conf. *EVNDEM in anal. ad Digest.* p. 417. in f. Simili fiducia usum huius poenæ adstruit *BRVNNE MANNVS* ad l. 13. quod metus causa n. 4. & quæritur, ait, *an hec constitutio Marci per desuetudinem sublata?* Id audacter pronunciant nonnulli, ut *COVAR-RVV.* lib. 3. ref. 16. n. 7. *FARINAC.* q. 175. P. I. n. 145. *GROENEWEG.* ad h. l. Sed quod hic vel ille hanc legem non allegatam nec in ferenda sententia obseruatam viderit, ex hoc nulla desuetudo probari potest. Scio ipse casum, vbi aliquis heres legitimus domum ac bona defundi occupauerat, & postea dicebat, se non

et heredem, sed ut creditorem occupasse, in qua sententia inter H. M. S. M. & A. M. sententia ex hac lege concepta fuit a Dn. ICtis lenensibus, & ita apud nos pronunciatum d. 19. Oct. anno 1647. Leges presumuntur vigere, nisi de consuetudine contraria manifesta appareat. Et presertim tales leges bodie necessarie, vbi plerique iugum obedientiae excutere velle videntur. Non ergo admissimus, quod Petrus Greue ex. s. n. 20. hanc legem a tota Geldria, Gallia & communis totius Christiani orbis usum exulare dicit; quomodo enim id probare poterit? quo fine tot ICti eos textus tam diligenter tractant? Post pauca addic: Sed quid in foro conscientiae? Non dubito, iuto vim passum reuinere posse, immo exigere pecuniam sibi violenter extortam licet debitam. Nam iustus est titulus ex lege, quae creditorem in paenam violentiae iure suo priuare, & me iniuriam passum liberare voluit, modo verus sit dolus & contentus magistratus. Conf. EVNDEM ad l. 7. C. unde vi n. 10. sqq. Socero adiungo generum, B. STRYKIVM in usum modern. ad tit. quod metus causa §. 9. qui, postquam §. anteced. demonstrauerat, nec usum huius legis 13. quod metus causa pugnare cum iure Sax. prouinciali, quin potius eundem in L. L. Wisigothorum agnatum, haec subiungit: Postquam ius civile in Germaniae foro traductum, non credendum est, plus priuatae autoritati indulsum fuisse in Germania & saluberrimis illis L. repudium esse missum, quod tamen non pauci assertant: Unde pro obseruantia talium LL. reipubl. tranquillitatii quam maxime inservientium omnino pronunciandum. Illustrat subinde usum huius legis ex constitutionibus imperii, praxique Camerali, & tandem ostendit Cameram regiam & electoralem Brandenburgicam a praxi eius non recedere, quam infra etiam ulterius confirmabo. Pari feroce pro obseruantia constitutio-

tutionis D. Marci pugnat M^EVIV^S P. i. decis. 25.
Et n. 2. seq. rationes ita subducit: Verum quando nec
reperiatur textus iuris Canonici, qui eam sanctionem tollit,
nec, eis talis esset, certum foret, quod isti hac in re potius
quam iuri ciuili standuni esset, praestat insistere perspicue
constitutis, maxime cum in paenalibus ius ciuale sequi soleau-
mus. Si moribus id correclum dicitur, probanda est prius
consuetudo iuris correctoria, qua facti est, ideo non prae-
sumitur. Vbi non constat de correctione vel abrogatione per
statuum vel consuetudinem, sequi oportet legem, donec istius
probatio sit. His suppositis aliis variis locis secun-
dum hanc Marci legem iudicatum fuisse memorat
ut P. IV. decis. 217. 218. 219. 220. P. V. decis. 156. 351.
Ec. Plenius usum huius constitutionis euincit
SCHILTER in praxi iur. Rom. ex. II. §. 13. sqq. con-
tenditque, eum nec iuri Saxonico nec Canonicu ad-
uersari, sed potius legibus antiquis conuenire, id
quod postea sub incudem reuocabo. Pariter LAV-
TERBACH ad tit. de vi & vi arm. §. 20. Et dissert. de
priuat. delict. th. 37. obseruantiam huius paenae pro-
pugnat, legibus imperii in testimonium vocatis.
Eandem etiam egregie adstruit Dn. de BERGER in
elect. discept. for. p. 152. variis adductis praejudiciis,
similique in tr. de usu action. paenal. p. 95. praxin
huius paenae inculcat. His denique plures alii ad-
dunt calculum, quorum verba referre non iuuat,
cum sufficiat, lectorem ad eos ablegasse, quorum
in numero sunt 1Cti Altorffini tom. II. respons. p.
224. & Vitebergenses apud ill. BERGERVM tom. I.
consil. p. 516. ESBACH. ad Carpz. P. 4. C. 55. def. 11. Et
P. I. C. 6. def. 8. n. 2. PHILIPP. in us. pract. Instit. ad
tit. de vibonor. rapt. ecl. 12. n. 13. Ill. Dn. de COCCEN

in iur. contr. ad tit. quod legat. qu. I. BLVM. in supplic. cam. tit. 18. n. 31. BALTHASAR in pract. resol. P. IV. tit. 20. resol. I. PRVKMANNVS vol. II. cons. 6. n. 38.

Probatur, af-
firmativa
sententia.

i) Quod non
abhorreat a
recta ratione.

§. IV. Non adeo ambigua suscipienda deli-
beratio videtur, in quorum castra transeundum sit,
cum argumenta iamiam adferenda euincent, usum
constitutionis D. MARCI vindicantes in hoc con-
flictu superiores futuros esse. Etenim (I) non ab-
horret a recta ratione, sed potius statui reipublicae,
vnde iura desumenda sunt, admodum conuenit,
prout capite I. §. 3. sqq. iam obseruaui. Qui sibi ipsi sine
iudice ius dicit, cum copiam eius habere posset,
grauiter peccat in rem publicam, autoritatem ma-
gistratus laedit, iugum legum excitat, & rem ad
statum naturalem, vnde ramen ad ciuilem itum est
felicitatis communis ergo, reducit, pro tanto fa-
cinore merito plectendus. Et cum legis sit, pœ-
nam determinare, priuatio iuris nec nimis rigorosa
nec iniqua dicenda est. Nemo magis iure suo
abutitur, quam qui in iure, quod ad se pertinere
censet, semetipsum judicem constituit, sibi senten-
tiā dicit temerario more, eamque vi exequitur.
Meretur autem iure suo priuari, qui eo gravius ab-
usus est. Hoc recta ratio inculcat, suadet, vrget;
hoc leges quarumcunque rerumpublicarum pro-
bant. Non ergo culpandus est D. MARCVS impe-
rator prudentissimus & philosophus egregius, quod
pœnam priuationis in eos, qui sibi ius dixerint, con-
stituerit, quam ipsem ex optima & rationabili cau-
sa produxit. Qui dissentient, vnice rigorem pœnae
crepant,

crepant, allegant, adferunt; sed facinoris grauitatem non ponderant, quod absque grauiori pœna in republica tolli non potuit. Sunt homines proni ad vindictam priuaram: iudices esse amant in causis propriis, & ad ea facile feruntur, quæ in statu naturali permissa quidem, sed a ciuili prorsus abhorrent. Id vero in republica aliter quam per rigorem pœnæ aboliri nequit, adeoque nec hic reprobandus. Deinde sunt plures aliæ pœnæ, plus rigoris habentes, quæ tamen propterea non statim a praxi excludendæ & reiiciendæ. In applicatione non iudicamus de legibus sed secundum leges, maxime si nihil in se contineant, quod rectæ rationi repugnet. Nec credendum est, plus hodie in nostris rebus publicis singulis, quam olim ciuibus Romanis, permissum esse, præsertim cum omnes diffidationes, quæ olim Germaniam nostram infestabant, per Dei gratiam sublatae & tandem *pax publica* redditæ atque restituta fuerit. Ius, quod *manu* redditur, magis bellum quam humanum est, vt optime obseruat CICERO *I. I. de offic. docens, duo effigenera decertandi: unum per disceptationem, alterum per vim, illud proprium esse hominum, hoc belluarum.* Nihilominus tamen maiores nostri in eam prolapsi erant insaniam, vt non per iudicem sed per vim sibi ius dicendum crederent, quam pestem Reipublicæ tot leges & constitutiones de *pace publica* vix abolere potuere. Et tamen huius pestis pœnam, quam D. MARCVS sapienter introduxit, deprecantur dissentientes, nimo eiusdem *rigore* offensi, qui tamen imaginarius cerebrinusque est.

§. V.

§. V. Præterea (II) nec per ius canonicum, quod
 non obstante c. i. X. de dolo & contum. dissentientes,
 lo & contum. inter quos primatum gerit ZOANNETVS de differ.
 iur. ciu. & canon. n. 163. quamvis alii, qui secundum
 ius canonicum rigorem l. 7. C. unde vi, non agno-
 scunt, hoc restringendum esse censeant ad ecclesiam,
 piis causas & personas ecclesiasticas, ne per indirectum
 ecclesia detrimentum accipiat, si poena priuationis
 erga prælatum exercenda foret. BARBOSA in col-
 lect. ad cit. c. i. n. 4. Inter priuilegia piarum causa-
 rum TIRAQYELLVS de priuil. piar. caus. priu. 144.
 & hoc caput referendum esse censuit: ecclesia vi-
 lenter inuadens possessionem rei sua non incidit in con-
 stitutionem l. si quis in tantam. C. unde vi, idque a
 glossa ad cit. c. i. verb. rigor, obseruatum esse refert.
 Sicuti vero glossa nullam tribuimus auctoritatem
 in decidendo, ita ipse textus de hac poena prorsus
 non disponit. Quomodo ergo usum eius tollere
 potuit vel in genere vel in specie in causis ecclesiasti-
 cis & piis? Ira enim ALEXANDER III, ad hæc cum
 contingat, actorem multoties mittendum esse in posses-
 sionem causarei seruandæ, propter absentiam partis ad-
 uersa, & per eius dolum siue potentiam non possit rem
 custodiendam nancisci, ac imminentि fine anni reus
 (ne possessionem amittat) debitam offerat cautionem,
 cuiusmodi sit poena multaudus, quia iussioni non paruit
 iudicis, a nobis tua fraternitas requisivit? De iure ci-
 uili, qui dolo malo faciebat, quo minus missus rei
 seruandæ

quod resolu-
 tur?

seruandæ causa possessionem conseqüebatur, conueniri poterat actione ad interesse, per quam conseqüebatur, quanti eius interfuit in possessione fuisse admissum, t. t. *D. ne vis fiat ei qui in poss. quod sine dubio ex ipsa principali causa, ob quam missio decreta erat, aestimari debebat. Quin etiam manu militari prætor interdictum suum executioni dare poterat.* Ab hoc rigore tamen abstinentum esse censuit pontifex: *ad quod dicimus, quod in ecclesiasticis personis & negotiis RIGOR ET DISTRICTIO IURIS non requiritur: sed cum iustitia propter hoc non periclitetur, pariter admitti debet, cum reus per cautionem standi in iudicio se adstringit.* Decepit sine dubio glossator ineptus interpretes, ut crederent, per rigorem & districtionem iuris intelligendam esse constitutionem, contra eos, qui sibi sine iudice ius dicunt, latam, a quo casu tamen textus decisio aliena est. *De contumacia,* in Ostenditur non admittendo missum commissa, eiusque poena que illud de quæstio erat, non de poena eius, qui sibi sine iudi- contumacia ce ius dicit. Interim facile largior, prælatum per non de hoc casu agere.

vim in re ecclesiæ ius sibi dicentem sine competente iudice, non præiudicare ecclesiæ, non quidem ex decisione ALEXANDRI III. sed ex ratione generali iuris canonici, quod prælatus facto suo iniquo ecclesiæ ius minuere aut deteriorare non possit. Conf. MENOCH. remed. IX. *recup. poss. n. 118.* BARBOSA ad c. vlt. C. 16. q. 6. Interim infestus & pugnax prælatus aliter puniendus. Reprobauit ius manuari- um in prælatis admodum GREGORIVS I. cuius verba retulit GRATIANVS in c. 1. C. 16. q. 6. docetque

G

quos-

Quamvis ius quosdam fuisse, qui quod pauperibus competere ex canonico estimant, non iudicio sed manibus defendant & cum per ius manuum prædicatores suos veritas dicat: nihil per contentionem dum reprobo. &c. etiam ipsum litigiosæ contentionis malum transcendetur, & res qualibet, cum estimatur ecclesia posse competere, per vim tenetur. Quia de causa per anathema prælatos huius farinæ coercendos esse credit, quod mortis spiritualis poena est.

Quin quod præterea merito eum iure suo cadere recte forsan dixeris, quatenus hæc poena vnicæ violentum inuasorem tangit, non etiam in ecclesiam redundant. Nec aliter cetsuere patres Africani anno 418. c. 21. apud HARDVINVN tom. I. concil. p. 1220. & GRATIANVM in c. 2. C. 16. qu. 6. (nam Mileuitano concilio hunc canonem non esse tribuendum, iam dudum obseruauit SCHELSTRATE in ecclesi. Afric. p. 247. vtut inter Africanos referri debeat.)

Ere erit, ipsum canonom adscribere: item placuit, ut quicunque episcopi quascunque ecclesiæ vel plebes, quas ad suam cathedralm estimant pertinere, non itarepetierint, ut causas suas, episcopis iudicantibus, agant: sed, alio retingente, irruerint, siue violentibus siue nolentibus plebibus, CAVSÆ SVÆ DETRIMENTVM PATIANTVR. Et quicunque iam hoc fecerint, si nondum est inter episcopos finita contentio, sed adhuc inde contendunt: illo discedat, quem constituerit, prætermisis iudiciis ecclesiasticis, irruisse. &c. Palam est, Africanos etiam contra prælatos, de facto, sine iudice, procedentes, rigore iuris ciuilis vsos fuisse, nec adeo inique. Qui formam viuendi suo exemplo proprio aliis tradere debent,



debent, nulla venia digni sunt, si vim faciunt, iudicis spreta autoritate.

§. VI. Multo magis vero hæc poena ad eos trahenda erit, qui beneficia ecclesiastica violenter occupant, quæ possideri non possunt absque legitimo titulo & institutione prævia. Aliter qui ea ingrediuntur, intrusi dicuntur, (vid. LANCELOTUS de attent. P. I. c. 3. n. 74. sqq.) quos pœna priuationis rectissime tenet, iudice BONIFACIO VIII. in c. 18. de prab. in 6. En verba: *eum, qui beneficium, cui animarum cura imminet, vi occupat, seu scienter iniuste intrudit in eo: decernimus ipso iure foro priuatum beneficio, quod cum cura simili primitus obtinebat. Non enim decet, ut stultus melioris quam peritus conditionis existat, vel quod inuasor, eo, qui iuste ingreditur, priuilegio gaudeat potiori.* Additvero præterea generalem dispositionem: *Insuper ut violenti, qui autoritate, (vel verius temeritate) propria occupare dignitates, personatus aut alia quecumque ecclesiastica beneficia non verentur, et si non virtutis amore, pœna saltim formidine, a sua temeritatis audacia refrenentur; eo ipso ius, si quod in dignitatibus personatibus & beneficiis occupatis taliter vel ad eas ipsis forsitan competit, amittant.* Faceant igitur, qui sub umbra iuris canonici, cui in praxi insigne tribuunt pondus contra usum huius pœnæ pugnare conantur, quos ipsum ius canonicum repellit. Quin quod hoc ipsum contra spolium committentes adeo late propagauerit odium, ut seuerius cum his agendum esse censeat, ac quidem ius civile. Evidem in c. 1. X. de restit. spoliat. GREGORIVS IX.

Denique nec in causâ *spolii* exceptionem *dominiti* non esse refici-
contrarium endam existimauit, si actor ei consentiat; inde ta-
colligi potest
ex c. i. X. de restit. spoliat.

men minime deducendum est, in commisso & pro-
bato spolio non imminere priuationem dominii.
Actor, qui de *spolio* conqueritur, & exceptioni rei,
qua *dominium* rei sibi adserit, scienter se immittit,
permittitque, ut eius probationem suscipiat, dupli-
ci via sibi nocet: 1) quod restitutionem paratissimam
consensu suo impedit, 2) quod a poena priuationis
se alienum esse ostendat. Inuitus nemo agere
cogitur, si iniuriam sibi illatam & vim deuorandi stu-
dium gerit. Landandus omnino non culpandus est.
Ceterum si iure suo vti mauult, exceptione *domini*
reiecta, spoliatus mox restituitur, & postea in
petitorio conuento parata est exceptio *priuationis*
domini. Denique parum dissentientibus prodest
forensis sententia vulgatissima, quod, restitutione *spo-*
lii facta, ad petitorum spoliatori via non denegetur.
c. 7. 10. X. de restit. spol. Vtique via ei panditur, sed
salua exceptione rei; huius ab arbitrio pendet, vtrum
iure hoc vti, an simpliciter petitorio disceptatio-
nem causæ permettere malit.

(3) Nec ad-
versatur ius
Germanicum
antiquum
hunc pœnae.

§. VII. Ulterius (III) neque *ius Germanicum*
antiquum quid habet, quod cum vsu *huius pœnae*
confistere non possit. Scio in alia omnia iuisse quoniam
BERLICHIVM, CARPOVIVM, COLERVVM, ceteros,
quorum vestigia fideliter premit SIGISMUNDVS
FINCKELTHAVS obs. 24. hac adducta quæstione: *credi-*
tor, non implorato iudicis auxilio, bona debitoris sui
proprio ahus occupans an ius crediti iure Saxonico
amittat! quam per rationes dubitandi & decidendi
examini-

examinat. Verum scio quoque s^epe ICtos prælau-
datos, quorum meritis ceteroquin nihil derogo,
s^epe in iure patrio h. e. Germanico hospites fuisse.
Frigida sunt, qnæ FINCKELTHAVSIUS in scenam pro-
ducit, pro non-usu hujus pœnæ & pugna eius cum
